

pernaturale, quod sit supra omnem naturam creabilem, cum etiam accidentia suam naturam, et essentiam habeant, et tamen sunt ordinis supernaturalis, quia sunt supra omnem naturam ordinis naturalis. Dicere autem quod ad rationem supernaturalitatis pertinet, ut aliquid sit supra omnem naturam, quæ est substantia, non supra omnem naturam, quæ est accidens, est petitio principii, neque enim requiritur quod sit supra omnem substantiam absolute, sed super omnem substantiam ordinis naturalis.

XXI. Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia accidens non dicitur connaturale cum alio accidenti, tamquam cum principio, et radice, a qua derivatur, vel cui connaturale est, sed semper supponi aliam priorem radicem a qua derivatur, vel tamquam proprietates ejus si illi inhæreat, vel tamquam participatio illius si ab eo communicetur alteri. At verò substantia semper se debet habere tamquam primum, et radicale principium ejus quod sibi convenit, et connaturale est, et ita si datur substantia supernaturalis, oportet quod aliquorum supernaturalium accidentium, et ejusdem ordinis, cum ipsa sit principium radicale, et per se, alioquin solum esset principium et radix naturalium accidentium, et consequenter ipsa substantia esset ordinis naturæ, si quidem solum haberet proprietates naturales, ex proprietatibus autem cognoscimus qualis sit substantia. Sic ergo sola connexio, aut connaturalitas unius entitatis, ut sic cum alia non explicat explicationem nostram, nam unum accidens supernaturale esse connexum, et connaturale alteri nullam repugnantiam involvit, quia utrumque oritur a Deo, tamquam a prima radice, unde habet quod inter se sit connexum, et non radi-

cale ejus principium; sed quod accidens aliquod supernaturale sit connaturale, et connexum alicui substantiæ creatæ tamquam principio radicali suæ convenientiæ, hoc implicat, supposito quod accidens supernaturale est illud, quod importat propriam participationem divinæ naturæ, in quantum divina est, quod non potest esse proprium substantiæ inferioris, tamquam principii radicalis sui cum substantia illa creata esset, et consequenter infinite distans a Deo. Quare non facimus vim in responsione data inter arguendum, neque in eo quod supernaturalia sint super omnem naturam, vel non; sed solum in hoc facimus vim, quod supernaturale, de quo loquimur in præsentibus est quædam communicatio, seu participatio increatæ naturæ in eo, in quo divina est, sicut virtus cœlestis est communicatio cœli, in eo quod proprium sibi est, et illuminatio Angeli superioris est communicatio luminis proprii intellectus superioris. Et in his omnibus, et similibus eadem est implicatio, quod scilicet communicatio illius virtutis, seu naturæ superioris, in quantum superior est, possit originari, et habere pro principio radicali, seu substantiali, id quod inferius est, quod esset si daretur substantia supernaturalis creata, quia in quantum creata inferior est ad naturam divinam, et in quantum supernaturalis est radicale principium illius accidentis, seu communicationis, quæ est propria divinæ naturæ, ut divina est, et suprema.

XXII. Secundo, arguitur quia Deus est communicabilis substantialiter personaliter in ordine supernaturali, ergo etiam communicari poterit Deus in aliqua natura substantiali supernaturali. Antecedens est certum in mysterio incarnationis, in quo datur unio substantialis hypos-

tatica, per quam Deus substantialiter unitur. Consequentia probatur, quia si non repugnat aliquid substantiale in genere supernaturali; scilicet unio hypostatica, ergo non excluditur, ab ordine supernaturali ratio substantiæ, ergo non repugnat natura substantialis in eodem ordine supernaturali, sicut non repugnat unio hypostatica substantialis. Confirmatur, quia accidentia supernaturalia debent correspondere alicui substantiæ, cujus propria accidentia sint, omne enim accidens alicujus substantiæ proprium est, et subjectum connaturale habere debet, sed Deus non est connaturale, et proprium subjectum accidentium supernaturalium, quia Deus non est capax accidentium, et in infinitum distat ab illis, solumque analogice cum illis convenit, ergo oportet quod sit possibilis aliqua substantia creata supernaturalis, cujus talia accidentia propria sint. Et idem argumentum fit de actibus vitalibus supernaturalibus, quia oportet, quod correspondeat eis aliqua potentia vitalis ejusdem ordinis supernaturalis, cui tales actus vitales connaturales, et proprii sint, talis autem potentia convenire debet alicui substantiæ creatæ, quia Deus non habet potentiam intellectivam, quæ sit capax actuum vitalium accidentalium.

XXIII. Respondetur negando consequentiam. Disparitas est, quia unio hypostatica est aliquid substantiale tamquam modus (sive sit medians, sine consequens ad unitatem extremorum) et consequenter supponit naturam cui convenit, non connaturaliter, sed supernaturaliter elevando ipsam ad unitatem Personæ divinæ, non connaturaliter conveniendo. Et sic est eadem ratio de ipsa atque de aliis accidentibus supernaturalibus, quæ dantur per modum elevationis, non tamquam con-

naturales formæ alicujus substantiæ. At vero si daretur substantia supernaturalis non tamquam modus, sed tamquam natura non se haberet per modum formæ elevantis alteram, cui superveniret, sed per modum primi, et radicalis principii formarum supernaturalium, quod ut ostendimus repugnat convenire alicui substantiæ creatæ, supposito, quod supernaturales formæ sunt participationes Dei, ut est increata substantia, et superior ad omnem creatam naturam. Et ideo non repugnat modus supernaturalis substantialis creatus conducens, vel consequens ad unitatem naturæ divinæ cum Persona divina, repugnat autem natura substantialis creata, quæ sit radix, et principium accidentium divinorum.

XXIV. Ad confirmationem respondetur aliqua accidentia esse, quæ non habent proprium subjectum receptionis, et informationis, sed solum habent subjectum proprium originis, et derivationis, nam aliqua accidentia sunt, quæ ad hoc solum deserviunt ut superior natura communicetur accidentali modo naturæ inferiori, sicut illuminatio Angeli superioris communicatur inferiori ad hoc, ut altiori modo intelligat, quam ex propria virtute posset, et cœlum imprimit mari virtutem ad motum fluxus et refluxus, quæ virtus non potest recipi in ipso cœlo, sed in mari, non tamen potest oriri ex mari, sed ex cœlo, sicut virtus in Angelo inferiori ad intelligendum juxta illuminationem superioris non potest recipi in superiori, sed in inferiori, quia juxta modum et capacitatem inferioris se accommodat, non eo modo quo superior id habet, non tamen potest originari ab intellectu Angeli inferioris, sed superioris. Similiter ergo lumen gloriæ, quia se habet ut quædam Dei illuminatio ad intelligendum



juxta modum divinum, et similiter gratia et dona supernaturalia, quæ ad hoc ipsum ordinantur informant intellectum creatum elevando illum, non tamen possunt originari ab ipso intellectu creato, sed a divino, et ita non potest esse connaturale alicui substantiæ creatæ, quæ inferior est ad ipsum Deum, quia si natura istorum accidentium est originari a superiori et recipi in inferiori ipso quod elevat ad modum superioris, repugnat eorum essentiali et naturæ, quod originentur a substantia inferiori, qualis est creata, et consequenter quod detur substantia supernaturalis creata, quia hoc ipso quod est substantia debet esse principium radicale, a quo originentur accidentia supernaturalia. Et eodem modo dicitur ad id quod objicitur de actibus vitalibus supernaturalibus. Dicimus enim quod non requirunt potentiam vitalem, cui connaturaliter conveniant, sed cui conveniant elevative, eo quod se habent tamquam actus elevantes potentiam ad modum superioris ordinis. Et ideo solum supponunt potentiam elevabilem, cui conveniant supernaturaliter, non potentiam sui ordinis, cui conveniant connaturaliter, et a qua originentur tamquam a prima radice, sed debent originari a superiori potentia, scilicet a Deo, et recipi in inferiori scilicet in elevabili.

XXV. Tertio, arguitur quia totum fundamentum, quo negamus possibilem esse substantiam creatam supernaturalem est, quia implicat quod principium connaturale, et proprium alicujus perfectionis elevantis ad superiorem naturam sit id, quod substantialiter est inferius, hoc enim potius est elevabile ad superius quam connaturale principium perfectionis superioris, sed hoc fundamentum est nullum, ergo. Minor probatur, quia bene potest id

quod est proprietas alicujus superioris naturæ etiam inferioris connaturaliter, et sine elevatione convenire, sicut lux, quæ est proprietas solis potest communicari lunæ, et stellis, vel etiam corpori elementali, ut igni, licet non in ea perfectione, et intensione, qua soli, ergo etiam non repugnabit, quod lumen supernaturale conveniat connaturaliter alicui substantiæ creatæ, licet non in ea perfectione, qua est in Deo, sicut etiam calor illis connaturaliter invenitur in illis corporibus, licet non in ea perfectione, et gradu sicut igni: sic etiam lumen gloriæ, quod est in creatura solum est ad videndum Deum finito modo, et ita non repugnat quod conveniat alicui substantiæ connaturaliter.

XXVI. Confirmatur, quia ad substantiam supernaturalem non requiritur, quod sit radix, ex qua dimanet lumen gloriæ, et alia accidentia supernaturalia, neque requiritur, quod habeat tantam immaterialitatem sicut Deus, vel infinitatem, aut ipsam specificam, vel numericam rationem constitutivam Dei, ergo nulla implicatio assignari potest in eo, quod detur substantia supernaturalis. Antecedens probatur. Nam ad hoc species infusæ Angelis dicantur illis connaturales et debent, non requiritur quod dimanent ab illis, sed quod eis infundantur juxta exigentiam capacitatis suæ, et motus cœli est ei connaturalis, non tamen oritur ab illo, sed imprimatur illi ab intelligentia: ergo etiam sufficit, quod lumen gloriæ, et alia accidentia supernaturalia infundantur in substantia naturali, ut dicantur illi connaturalia, licet non dimanent ab ea. Similiter non requiritur, quod illa substantia habeat eandem immaterialitatem, et infinitatem, quam Deus, vel aliquid constitutivum Dei, quia talis substantia non esset supernaturalis per

essentiam, sed per participationem, et consequenter semper inferior Deo.

XXVII. Respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur, quod lux non est proprietas solis sumpta solum secundum suam substantiam, aut etiam secundum intensiorem, cum tanta lux, aut etiam major communicetur corporibus gloriosis: sed est proprietas solis lux ut cœlestis, id est, ut habens talem modum operativum, et influxivum in hæc inferiora, et aliquos effectus potens facere, quod alia lux non solaris non facit, et sic solum invenitur connaturaliter in sole, in reliquis vero corporibus non invenitur nisi participative, et non connaturaliter. Unde neque invenitur in ea perfectione, qua in sole, sed cum aliqua modificatione longe diversa, quod est signum inveniri ex derivatione, et participatione a sole. Et sic non quælibet lux erit inferioribus corporibus non connaturalis, sed solum lux ut cœlestis, vel ut solaris. Similiter calor non est proprietas ignis absolute, et secundum substantiam, sed ut habet talem acrimoniam, et modum, id est, calor ut igniens, et sic non est connaturalis nisi igni, aliis vero corporibus non convenit sub tali modo, vel acrimonia, nisi ex participatione ignis. Lumen autem gloriæ etiam quoad substantiam est ordinis divini, quia ex sua specie respicit Deum pro objecto immediato. Unde neque in minima intensione, aut gradu, vel modo potest esse connaturale alicui substantiæ creatæ, sed debet esse elevativum ejus, et derivatum a luce divina.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur quod ut aliquod lumen, vel forma sit connaturalis alicui subjecto non requiritur, quod active emanet ab ipso, sed sufficit, quod passive exigat ipsam connaturali-

ter, ut exempla allata declarant. Itaque non facimus vim in ratione dimanationis secundum quod dimanatio ab activo principio est, sed sive sit principium activum, sive passivum, perinde est ad propositum, quia etiam principium passivum potest esse connaturale, et radicale respectu alicujus formæ, ut cœlum respectu motus, quantitas respectu figuræ, vel situs. Et tunc eodem modo currit implicatio allata, quia licet sit principium passivum, si tamen ex parte naturæ suæ est radix, propter quam connaturaliter postulat, et debetur ei talis forma, hoc ipso non potest talis forma esse propria, et immediata participatio naturæ superioris in eo, in quo superior est, quia habet radicale principium in natura inferiori saltem passivum, et ita quando illi datur non se habebit ut elevans talem naturam inferiorem, et trahens ad consortium superioris, sed ut sibi propria, et connaturalis, cum tamen de ratione supernaturalis formæ sit, ut faciat consortium divinæ, et superioris naturæ in eo, in quo divina, et superior est. Quare posita connaturalitate inter aliquam formam, et subjectum, ita quod subjectum sit radicale principium illius sive activum, sive passivum, non stat quod sit participatio propria, et elevativa superioris naturæ, et sic eadem implicatio currit. Quod vero dicitur de immaterialitate, aut infinitate Dei, quam non requiritur habere substantiam creatam supernaturalem si daretur, respondetur sequi per consequentias mediatas, quia si radix eorum, quæ sunt propriæ participationes Dei in quantum Deus, consequenter debet habere divinam naturam, ad quam ut ad principium radicale, et per se debet reduci id, quod proprium est talis naturæ quantum ad ordinem divinum.

XXIX. Ultimo, arguitur argumen-



to Molinæ, quia illud conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu creato est aliquid finitum, et dato quocumque finito potest Deus facere aliud perfectius, ergo potest facere intellectum habentem ex se illam perfectionem luminis gloriæ, ita quod habeat in se, et ratione sui id quod habet modo hoc conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu nostro. Confirmatur, quia noster intellectus non ex eo indiget lumine supernaturali ad videndum Deum, quia Deus est extra objectum ejus terminativum, sed quia est minoris virtutis, quam exigit objectum ita perfectum, sed quocumque intellectu dato potest fieri alius perfectior. Ergo potest perveniri ad intellectum, qui ex sua connaturali efficacia superet vim illius intellectus, qui lumine gloriæ illustratus est. Unde non est simile de visu externo, qui quantumcumque crescat in virtute sua non potest pervenire ad hoc ut audiat, id enim ex eo est quia sonus, et auditio sunt extra objectum terminativum visus: at vero visio Dei non est extra objectum intellectus. Confirmatur secundo, quia omnis forma creata est quædam participatio Dei, et tamen multæ formæ sunt connaturales entibus creatis, sicut intellectus, et voluntas sunt connaturales Angelis, ergo etiamsi lumen gloriæ sit participatio quædam Dei poterit esse connaturale alicui substantiæ creatæ, præsertim quia lumen gloriæ non est proprie forma Dei, quia in eo esse non potest cum sit quoddam accidens.

XXX. Respondetur verum esse quod conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu nostro est aliquid finitum, et illo dato potest Deus facere aliud excellentius, scilicet aliud conjunctum ex nobiliori intellectu, et perfectiori lumine gloriæ, non tamen sequitur quod possit facere aliquem intellectum, qui non sit

elevabilis a lumine gloriæ, et lumen gloriæ quod non sit elevativum illius, sed connaturale illi, supposito quod tale lumen non est participatio alicujus creati intellectus, sed divini in quantum divinum est, et faciens consortium illius, nullus autem intellectus creatus potest habere pro connaturali lumine id quod facit consortium, et elevatum ad proprium modum divinum, ut satis explicatum est.

XXXI. Ad primam confirmationem respondetur intellectum nostrum indigere lumine gloriæ elevante ad videndum Deum, non solum quia est minoris virtutis, quam ipsum objectum quod est Deus quasi intra eandem lineam perfectionis minoratus, qui per virtutem connaturalem possit crescere ad illud lumen, sed quia est inferioris ordinis, et non nisi obedientialiter et elevabiliter respiciens illud, non connaturaliter. Unde non sequitur, quod quia potest Deus facere intellectum magis, ac magis perfectum in infinitum, et secundum diversas species, possit facere intellectum illius ordinis divini, qui non sit elevabilis ad modum intelligendi divinum, quia quicumque intellectus creatus debet respicere Deum ut superiorem, et infinite distantem a se, et consequenter ut alterius ordinis a tota collectione creata, et consequenter ad hoc ut reddatur consors divini illius naturæ indigebit lumine elevante, et tamquam alterius ordinis perficiente atque adeo non sibi connaturali, sed supernaturali. Nec facimus vim in exemplo de visu respectu soni, et auditionis, quia non est capax neque elevabilis ad audiendum, intellectus autem, etsi non connaturaliter, tamen elevabiliter est capax divini visionis, et hoc in quantum creatus intellectus est, non in quantum noster, quia omnis creatus intellectus non est

capax divini visionis tamquam sibi connaturalis, sed tamquam excellentis ab ordine, et ratione immaterialitatis.

XXXII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod participationes formarum naturalium sunt participationes divini procedentes quidem a Deo, sed non elevantes ad ordinem divinum, et facientes consortium divini naturæ, sed ut proportionatæ rebus naturalibus easque comitantes. Lumen autem gloriæ, et formæ supernaturales ex suo essentiali conceptu sunt formæ elevantes id quod est inferiori Deo ad ordinem divinum, et cum omnis intellectus creatus sit inferior respectu Dei non potest illa forma elevativa esse connaturalis illi sed adjecta, et elevans ad consortium divini intellectus. Licet autem lumen gloriæ non sit forma propria Dei, quantum ad inhæsiorem in ipso, est tamen propria quoad participationem, et ut elevativa ad consortium Dei, et sic nulla extra Deum potest esse connaturalis, et non elevativa.

#### ARTICULUS V.

*Utrum sine lumine gloria possit per divinam potentiam intellectus videre Deum?*

I. Lumen gloriæ ut constat ex dictis triplici modo se habet in intellectu beati. Primo respectu potentie intellectivæ in genere causæ formalis, quatenus reddit intellectum illuminatum formaliter, et consequenter elevatum, et potentem videre Deum in se. Secundo respectu divini essentiæ, quam respicit per modum speciei impressæ actuantis intellectum ad eliciendam visionem, se habet per modum causæ dispositivæ, et materialis ut intellectus recipiat talem actuationem. Tertio,

respectu visionis, quæ elicitur ab intellectu sic elevato, habet rationem, et habitudinem causæ effectivæ, quia est virtus ad eliciendam illam visionem; elicentia autem in genere effectivo fit, licet quia ille actus immanens est, etiam debeat dispositive se habere ad recipiendum illam. Cum ergo inquirimus an possit Deus supplere lumen gloriæ in ordine ad videndum Deum, non est difficultas quantum ad primum effectum, qui formalis est, neque enim in hoc potest esse controversia, quod non potest Deus reddere intellectum elevatum formaliter, et illuminatum sine lumine gloriæ, sicut non potest reddere album sine albedine, neque calidum sine calore, ita neque supernaturaliter illuminatum sine lumine supernaturali. De secundo effecto non est etiam specialis, aut magna difficultas, sed ex resolutione circa tertium adjudicanda est, quia si Deus potest supplere ut eliciatur visio sine lumine gloriæ, etiam ex consequenti supplebitur, quod recipiatur talis visio sine lumine gloriæ in intellectu a quo elicitur, et similiter quod illi uniatur essentia divina, eo quod nec sine specie unita potest elici visio, nec potest constitui formaliter videns, nisi recipiendo formaliter visionem.

II. Quare tota difficultas reducitur ad tertium sensum, an videlicet sine lumine gloriæ infuso, quod per modum qualitatis intellectui imprimitur, et inhæret, possit Deus, vel sesolo per extrinsecam assistentiam vel per aliquid aliud, quod non sit illud lumen supplere concursum et virtutem ejus ad eliciendam visionem, sicut licet Deus non possit supplere quod lignum sit calidum formaliter sine calore, potest tamen se solo sine calore superaddito effective producere calorem per lignum: quia potest omnem effec-